

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**An Christvs Tentatorem Svvm Statim Noverit, Nec Ne
paucis disquirit**


Herbart, Johann Michael

Oldenburg, 1738

VD18 15098974-003

[An Christvs Tentatorem Svvm Statim Noverit, Nec Ne paucis disquirit]

[urn:nbn:de:gbv:45:1-633780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-633780)



HAud ita pridem in lectionibus nostris theologis, quæ ad ductum BUDDEI in *compendio Theolog. Dogm.* instituuntur, de aliorum præter hominum animas spirituum existentia egimus. Autor noster *Lib. II. Cap. II. §. 21. a tentatione Christi*, cuius *Euangelistæ Mattheus cap. IV. 1. seqq. Marcus Cap. I. 12. Lucas Cap. IV. 1. seqq.* mentionem faciunt, argumentum pro existentia Spirituum desumens, tentatorem non hominem, sed malum Spiritum fuisse, solidis rationibus demonstrat. Eo usque autem hac in re progreditur, ut, Christum a Satana per aërem raptum in pinna templi constitutum fuisse, eundemque Satanam arte quadam præstigiatrice in aëre omnia regna mundi velut in tabula quadam repræsentasse, sibi persuadeat. Quam opinionem cum ea, qua decet, modestia ac reuerentia refellerem, simulque ostenderem, maximi nominis Theologos, inque eorum numero ipsum *Langium*, iure contendere, Diabolum humana indutum forma
ad



ad Christum accessisse atque itineris societatem petiisse; mihi nihil tale meditati in mentem venit quærere, an, Diabolum sub humana forma latere, Christo ab initio statim cognitum fuerit, nec ne? Cui meditationi cum diutius inhærerem, rationes, quibus quæstionis huius decisio nititur, tanto numero sese euoluebant, ut de veritate hac, quod Christus tentatorem suum omnino ignorauerit, me plane tandem conuictum sentirem. An ab aliis iam quæstio hæc in medium allata & pertractata fuerit, mihi non constat. Persuasus autem, tentationem Christi sibi non recte constare, nisi hanc sententiam admittas, dignam programmate rem esse credidi, præsertim cum iam eo tempore viuamus, quod memoriæ tentationis Christi dicatum est. Quum interim, me errare posse, lubentissime fatear, minime mirum mihi videri debet, si id, de quo plane conuictus mihi videor, ab aliis ad coniecturas refertur. Meas igitur qualescunque meditationes maturiori placidoque aliorum iudicio permitto.

Non fert instituti mei ratio, ut recensendis aliorum interpretationibus immorer. Id tantum paucis moneo, me non cum iis facere, qui tentatorem verum hominem fuisse statuunt, neque vero cum iis, qui Christum a Diabolo per aërem raptum contendunt, sed ab eorum me partibus stare, qui, firmis innixi rationibus, infernalem genium humana specie indutum Christum tentasse adeoque occasionem peccandi suppeditasse, affirmant.

Quæ-

☼ ○ ☼

§

Quæritur ergo iam, *an Saluator noster Diabolum quamuis in aliam speciem transformatum statim nouerit, nec ne.* Duo mihi negatiue responsuro probanda erunt, 1.) fieri potuisse, vt Christus tentatorem suum ignorauerit; 2.) Vere illum ignorasse.

Prius, rei scilicet possibilitatem omnes mihi concedere oportet, qui de *statu exinanitionis* recte sentiunt. Hanc igitur ceu rem certam & expeditam præsupponere possem. Quum vero non omnes forsitan lectores mei totum huius doctrinæ ambitum memoria sua complectantur, ere fore spero, si totam de statu exinanitionis Christi doctrinam quam potest fieri breuissime, perspicue tamen delineauero.

In ipso conceptionis Christi momento diuina natura humanam ita secum coniunxit, ut inde vna tantum persona, scilicet Christus, enasceretur. Vi cuius arctissimi vinculi Christus etiam vt homo diuina maiestate ac splendore ex eo tempore exornatus fuit. Vt vero Christus totius generis humani restaurator hominibus in omnibus rebus, excepto peccato, similis fieri, esurire, sitire, dormire, dolere & pati posset; omnino necessarium erat, vt Christus, qua homo erat, vsque dum redemptionis opus absolueret, diuinarum perfectionum vsu plenario se abdicaret, adeo quidem, vt nullum quandoque earum sensum haberet. Quomodo quæso Christus, quatenus verus homo erat anima rationali & corpore organico constans, vere dormire potuisset, si eodem tempore diuina omnipotentia



tentia atque omniscientia vti voluisset? Id vero est, quod *Paulus Phil. II. 6. 7.* aperte docet, *euacuauit*, in-
 quiens, *se ipsum*. Quod quidem non ita intelligen-
 dum est, ac si diuina attributa & perfectiones prorsus
 euacuauerit, & quasi effuderit: alias enim inde seque-
 retur, diuinæ & humanæ naturæ vinculum disruptum
 esse, id quod analogiæ fidei repugnare, nemo non vi-
 det. Neque vero *κρύψω* aliquam hic somniare fas
 est, quasi occultauerit tantum maiestatem diuinam, &
 se nudum hominem simulauerit. Id enim in lusum abi-
 ret Deo prorsus indignum: quid? quod ipsa sanctitas
 hac ratione dissimulationis arguenda esset. Non
 tamen eo mens nostra redit, vt Christum vsu
 diuinæ maiestatis & excellentiæ, durante statu exi-
 nationis, prorsus se abdicasse, statuamus: contrari-
 um enim loquuntur multa exempla, dum, Christum
 Deum omnipotentem & omniscium sapius se gessisse,
 legimus. Nisi igitur me fallunt omnia, Christus, ad
 mentem Apostoli, plenario perfectionum diuinarum
 vsu, quandoque etiam ad tempus, cum res postula-
 ret, penitus, se abdicauit. Verum hoc esse, res
 ipsa docet. Christus *Ioh. XVII. 5.* a patre tuo cæ-
 lesti petit, *vt se glorificet*. Quæ preces superuaca-
 neæ fuissent atque inanes, si cælestis gloriæ vsu tunc
 temporis habuisset. *Matth. VIII, 20.* de se ipso Christus
 loquitur, *filius hominis*, inquit, *non habet, vbi ca-
 put suum reponat*. Ergo caruit diuina opulencia. In
 monte oliueti animi corporisque viribus ita debilitatus
 ac fractus erat Christus, vt ab Angelo confirmari de-

beret.

beret. Vbi tunc erat vsus diuinæ omnipotentiaë ? In cruce pendens, se a Deo desertum esse, misere & lamentabili voce querebatur. Vbi tunc erat sensus diuinæ beatitatis *Matth. XXI. 19.* profitetur ipse Saluator, sibi *ignotum esse diem extremi iudicii.* Aut vere ignorauit, aut se ignorare simulauit. Posterius de Christo cogitare nefas est; ergo prius verum est. Intellectus diuinus non solum existentem rerum nexum, sed & omnes nexus seu mundos possibiles, vno actu simplicissimo, distincte sibi repræsentat. Cum igitur Christus, quando futurus sit extremi iudicii dies, ignorauerit; tunc temporis, vt homo, intellectu diuino vsus minime fuit. Quid? quod Euangelista *Lucas*, eum in sapientiaë studio indies maiores profectus fecisse, testatur. Sapientia est habitus, omnibus actionibus suis conuenientem præscribendi finem, & eligendi media, quibus breuissima via pulcherrimo tamen ordine ad eum peruenire possumus. Facile hinc intelligimus, accurata ac distincta rerum cum diuinarum tum humanarum notitia, earum nexum intuendi facultate, adeoque magno ingenii, iudicii que acumine opus esse, si quis ad eum, ad quem mens humana adspirare potest, sapientiaë gradum pertingere velit. Dum igitur *Lucas*, Christum profecisse in sapientia, affirmat, idem est, ac si dixisset, eum in cognoscendis rebus diuinis ac humanis maiores indies progressus fecisse, earumque nexum magis magisque perspexisse, adeoque cum maiori acumine omnia diiudicasse.

In

In diuina sapientia nullus progressus locum habet, quia Deus summa ratione seu omnium rerum nexum intuendi facultate & perfectissimo intellectu præditus est, ita vt neque attentione neque abstractione neque ratiocinio ipsi opus sit, sed omnia intuitiue simul cognoscat. Quum igitur Christus in sapientia profecerit, eatenus vsu diuinæ sapientiæ se abdicasse, patet luculentissime. Hac ratione videor mihi abunde demonstrasse, puod fieri potuerit, ut Christus, quis & qualis esset, qui se tentaret, nesciuerit.

In eo iam cardo rei versatur, *vt adhuc, Christum omnino & reuera ignorasse, probemus.* Simulac, quid sit tentatio, de qua h. l. sermo est, & quinam eius finis fuerit, perspiciemus, ita de hac veritate conuincemur, vt nullum relinquatur dubium. Executiendis variis huius vocis significationibus non immorabimur. *Tentatio*, de qua hic loquimur; vt ex omnibus circumstantiis patet, *est occasiois peccandi suppeditatio siue suggestio.* Nonnulli cum hac notione adhuc coniungunt aliam, esse scilicet cognoscendi causa institutam inquisitionem & explorationem. Quæ quidem notio meis rationibus non obest; mitto tamen eam, cum prior ceu primaria ad id, quod demonstrandum mihi sumsi, abunde sufficiat. Vt vero ordine rem dicamus, ipsam tentationem eiusque finem considerabimus.

1) *ex parte Christi*, atque inde demonstrabimus, eum Diabolum minime nouisse, neque cognosce-
re


re debuisse. Pro certo sumimus, tentationem ad infimum exinanitionis gradum pertinere, ideoque Christum secundum humanam tantum naturam tentationis periculum subiisse, dum diuina natura status exinanitionis adeoque & tentationis minime capax est. Christus qua homo spectatus ab ineunte ætate rerum cognitione & sapientia, legendo & considerando sacro codice, præeunte forte fideli magistro imbutus fuit, ita tamen, ut ea in re omnes æquales suos, imo omnes omnino homines antecelleret, siquidem & intellectus ab erroribus & voluntas prauis cupiditatibus prorsus immunis erat.

Quum esset annos triginta natus, a *Iohanne* sacro baptisate lauatus, insignioribus Spiritus diuini donis, quam quidem eius socii omnes, supernaturali modo instructus fuit. Præterea voce de cælo missa, se filium Dei esse, coram omnibus fiebat certior. Iam vero tam egregie ornatus atque instructus officio suo prophetico fungendi facere debebat initium. Ante autem, quam id fieret, acriter tentandus erat, ut & ipse perspiceret, quid valeant humeri, & alii certiores fierent, eum ad fungendum tam arduo munere satis habere virium & prudentiæ.

Deus igitur, quæ summa eius est sapientia, Satanæ, quemadmodum Iobi temporibus, permisit potestatem Christum quouis modo tentandi, hoc est, omnem occasionem suppeditandi, qua quis ad peccandum allici possit. Voluit ergo Deus, ut Christus non ad speciem, quasi per lusum, sed serio tentaretur. Eum igitur in finem & eiusmodi electus fuit locus, unde tentatio fieret eo periculosior, quo

B

re-



remotius erat omne auxilium.
eum ducebat in locum desertum.

Spiritus nimirum

Qui aduersarium suum nouit, is insidias illius anteuertere facile potest. Iure hinc me asserere posse confido, *Euam* prauis cupiditatibus nondum infectam, a serpente se seduci non tam facile fuisse passuram, si Diabolum, infensissimum generis humani hostem sub ea forma latere, cognouisset. Ergone Christus, qui hominis lapsum sua victoria restituit, præclarum fecit facinus, dum insidias hostis effugit, quem intus & in cute nouerat, & cuius mala consilia præuiderat & penitus perspexerat? Christo ut homini hominum eruditissimo Diabolorum natura & ratio optime erat cognita; adeoque ipsum minime fugiebat, genios istos infernales omnes suas cogitationes eo conferre, ut homines miseriæ suæ socios habeant. Quod si igitur Christus statim ab initio tentationis cognouisset, eiusmodi internalem genium sub humana specie latere; omnes eius machinationes facile & nullo plane negotio potuisset eludere. Fieri sane haud poterit, ut quis ab eo sibi imponi patiatur, quem omnium mendacissimum esse cognouit. Neque facile quis credet, eum bonum & salutare sibi dare posse consilium, cuius omnes rationes ad aliorum perniciem vnice tendunt. Nonne igitur, rebus sic stantibus multo magis Christo facile erat, eiusmodi tentationem contemnere? Sane ex parte Christi id quidem tentationis nomen omnino non meretur. Et id vero est insignem a Christo reportatam victoriam
immi-

imminuere & plane destruere. Si econtrario, Christum suum aduersarium ignorasse, imo potius pro amico & honesto viro reputasse, statuimus; tunc quidem magnæ molis erat, huiusmodi insidias effugere; ita Christus est incomparabilis heros; ita est victor vinci nescius.

Pone autem, Christum illum cognouisse; nonne ab eius societate statim abhorruisset? nonne dicturus fuisset, quemadmodum in fine tentationis, apage Satana? Quin imo facere hoc debuisset. Fuisset enim nimia & maxime reprehendenda curiositas, imo vero audacia, solum versari cum hoste cognito. Christus cum Diabolo iter faciebat Hierosolytam, tendebat cum eo in altissimum montem. Quid hoc aliud est, nisi temeritas & audacia, si Diabolum comitem suum esse cognouit? Quomodo quæso exemplum tentationis Christi ad imitandum nobis proponi posset, cum alibi admoneamur, ne scientes subeamus pericula? Finge autem, hoc non esse temeritatem, non esse audaciam, in merum tamen lusum res abit. Christus ita secum cogitasset necessario: Tu Satanas tanquam mirus artifex aliam formam induisti, atque id agis, ut fraudulentis sermonibus me seducas; persuades tibi, te ita transformatum mihi plane ignotum esse: Sed falleris magnopere, bene te noui. Ludum te faciam & postremo tibi ostendam, me omnes tuas fraudulentas machinationes irridere. Ita, inquam, Christus secum cogitasset, si Satanam cognouisset, & nihilominus tam diu cum illo versatus fuisset

isset. Quantum autem scelus, ita de sanctissimo iudicare! Certum igitur est, Christum Satanam ignorasse.

Finis tentationis ex parte Dei pariter nos hac de re dubitare non finit. Christus non solum, ut supra monuimus, qua homo & futurus propheta, adeoque Doct. r publicus acerrime tentandus erat; sed eum quoque in finem hoc factum est, ut nobis constaret, *nos non habere pontificem, qui nequeat affici sensu infirmitatum nostrarum, sed potius tentatum in omnibus similiter, attamen sine peccato Hebr. IV. 15.* Extra omnem dubitationis aleam positum est, fideles multiplici ratione a Satana tentari. Satanas autem magis fraude, quam vi eos adgreditur: transformat enim se in angelum lucis. Hoc vel illud incitamentum a Satana proficisci, sapius nesciunt fideles, atque eo magis sibi cauendum & prospiciendum est. Quod si igitur Christus tentari debuit in omnibus, similiter nobis, si sentire debuit omnes nostras infirmitates, sicut nos ipsi, excepto solo peccato; eum, cum tentaretur, in isto, exinanitionis gradu constitutum fuisse, ut Satanam non nouerit, credamus necesse est. Alias enim non tantopere tentatus fuisset, quanto opere fideles tentari iam monuimus. Obiiceret autem aliquis, tametsi Christus usu diuinæ omniscientiæ in statu tentationis se abdicasset, fortasse tamen etiam ut hominem vi naturalis perspicaciæ animæ suæ cum maxima soliditate atque acumine coniunctæ, qua omnibus aliis hominibus præstitit, ex multis circumstantiis

stantiis colligere potuisse, quod Satanus sub ista specie lateat. Quamobrem nobis

2) demonstrandum erit, etiam *ex parte Diaboli* tentationem ita institutam & comparatam fuisse, ut Christus naturali modo ipsum cognoscere haud poterit. Satanus apud animum suum constituerat, Christum ad peccandum allicere. Istud consilium per se fuisset vanum atque irritum, si, quis et qualis esset, Christo indicasset. In humanam igitur speciem, Deo permittente, se transformavit, ut id, quod intendebat, emoliretur. Diabolus est versutus & callidus Spiritus. Calliditas autem in eo veram imitatur sapientiam, ut media excogitet atque eligat, quæ ad finem propositum consequendum idonea sunt. Hinc Christus ipse, filii huius mundi, inquit, sunt prudentiores in suo genere, quam filii lucis. Satanus itaque, quantum potuit, in talem se vertit formam, ut Christus, quis & qualis esset, plane ignoraret. Omnes rationes probe perpendit, atque omnia ita instituit, ut suspitioni omnino locus non esset. Hinc Diabolum vnaquaque vice in aliam se vertisse formam, colligimus. Quod si enim eadem specie omnibus tribus vicibus se conspiciendum dedisset; sibi non cum naturali homine rem esse, Christus facile potuisset coniectari. Inde porro sequitur, Diabolum tribus istis vicibus eiusmodi formam semper adsumsisse, quæ & loco & aliis circumstantiis accommodata esset. Evangelistæ hæc momenta nobis non distincte retulerunt. Nihil igitur certi præter iam

demonstrata definire possumus. Rem interim, tanquam vere ita gesta fuerit, proponere mihi liceat. Quum Christus in loco deserto post quadraginta dierum ieiunium esuriret, cibum, & quidem, eremitarum more, herbas & radices quærebat. Dum hæc geruntur, Diabolus accessit in speciem *Essæi* cuiusdam conuersus, quales homines in locis desertis a consortio hominum remoti gerere solebant. Miratus is, Christum à deo solum in solitudine esse, omni ope destitutum, cum tamen vox a cælo demissa illum pro filio Dei renunciauerit; se ipsius baptismo interfuisse, & ipsam hanc vocem audiuisse, adeoque sibi iam maxime mirum videri, quod fame prematur; si enim vere filius Dei esset, nullo negotio ex lapidibus panes efficere posse: id si fecerit, omnes conuicturum, verum esse, quod de cælo pronunciatum fuerit. Saluator noster, aliter iudicare non poterat, quam quod hi sermones ex simplici & candido animo profecti essent. Quamuis autem hunc hominem pro honesto viro haberet, consilium tamen ab illo datum Dei rationibus repugnare animaduvertebat. Istud igitur ex verbo Dei solide refutat. Diabolus probe intelligens, hac occasione se nihil amplius profecturum esse, discessit. Non ita multo post *Iesus* iter ingressus est Hierosolymam, & quidem eodem Spiritu, quo in desertum, ductus. Hic Diabolus se nouam illum adoriendi occasionem nactum esse ratus, Deo permittente, itineris ducem & comitem se ipsi præbuit, eruditi cuiusdam sacerdotis pariter Hierosolymam ten-

tendentis forma indutus, Sermones eorum & loci & temporis & personarum rationibus erant accommodati. Differebant inter se de baptismo & doctrina Iohannis, de temporibus Messiae. Personatus ille veterator postquam, quis & qualis esset comes suus, interrogauerat, & Iesum Nazarenum esse, intellexerat; gaudium suum testatus est, quod tam amicus comes ipsi contigerit, se vidisse illum baptizatum, imo cum aliis vocem de caelo missam tunc auduisse, affirmantem, ipsum esse filium Dei, adeoque promissum Messiam. Ita secum inuicem colloquentes tangunt Hierosolymam, intrant templum. Satanas sub specie Sacerdotis, cui omnis templi ratio esset cognita, omnia aedificia ipsi ostendit, denique illum in eam templi partem ducit, quae quasi alam constituit & in profundam vallem prospectat. Dum in vallem despiciunt, dicit Christo Satanas: demitte te illuc. Non est, quod tibi a damno & periculo metuas: Angeli enim te filium Dei non destituent, praesertim cum hoc in sacris litteris expresse promissum sit; interea hac re omnes ac singulos, te filium Dei esse, conuinces. Callidum sane consilium! omnis periculi expers & praeterea utilitati Christi maxime accommodatum esse videbatur. Christus autem eiusmodi factum nimis temerarium esse reputans Sacerdoti, pro quo se gerebat Diabolus, aliud Scripturae dictum opponit, *Deum scilicet non esse tentandum*. Diabolus, quod regereret amplius, non habebat, quia eiusmodi personam induerat, cui scripta Mosis & Prophetarum probata esse debebant. Quamdiu Christus



stus Hierosolymis tunc temporis moratus fuerit , & quid amplius ibi gesserit , nostrum non est , curiosius indagare. Interiecto aliquo tempore postquam Hierosolyma discesserat Christus , Diabolus tertia vice illum adortus fuit. Qua forma seu vultu hoc factum sit , itidem ex circumstantiis diiudicandum est. Sermones eorum pariter circumstantiis illius temporis, loci, & personarum sine dubio respondebant, ita ut Christo nulla suspicandi ansa daretur, malum genium esse, qui sub specie apparente delitesceret. Communis Iudæorum erat opinio, Messiam futurum esse regem, qui Israëlitas a iugo romanorum liberaturus, & peculiare regnum stabiliturus sit. Mihi ergo a vero abhorere haud videtur, si quis statuere velit, Diabolum se pro angelo siue nuntio Dei venditasse propterea misso, ut ipsi omnia regna a Messia occupanda monstraret, & in manus tradat; se autem ab ipso merito postulare, ut sibi legato Dei genua ponat, & tanquam Deum ipsum colat. Hic in stultitiam conuersa est calliditas. Impudentia Satanæ, ultra, quam par erat, processerat. Saluator noster, ut homo, singulari ea, qua pollebat, vi iudicii, facile intellexit, eiusmodi mores Dei legatum minime decere; legatum Dei scire, Deo soli talem honorem deberi; malum igitur esse genium, qui sub humana specie lateret, & qui se hactenus decipere quouis modo tentauerit.

Nolens igitur cum tam male feriato spiritu amplius versari, apage, inquit, Satana,

Tan-

Tantum de re ipsa, quantum quidem per infirmam, qua adhuc tentor, valetudinem licuit. Reliquum est, vt de *vsu huius Tractationis* pauca addamus. Non dicam, honorem Christi etiam hac re contra empæctas & aduersarios religionis Christianæ vindicari, sed id tantum euicturus sum, quod magnum inde nos capere fructum possimus. Hac enim ratione certi reddimur, Christum secundum effatum Apostoli talem esse sacerdotem, qui possit affici sensu infirmitatum nostrarum, quia ita se tentari passus est, quemadmodum sæpius a Satana eiusque instrumentis nos tentamur. Discere inde possumus, nostram excusationem omni ratione destitui, quando dicimus, nos aduersarium nostrum ignorasse, fraude illum nos fefellisse. Christus nobis exemplum reliquit. Ille etiam hostem suum ignorabat, & tamen in infimo exinanitionis suæ gradu constitutus tanquam filius hominis gloriose vicit. Colligimus porro, nobis cauendum esse a curiositate & audacia. Simulac Christus, sibi cum Satana rem esse, animaduertent, abstinuit statim eius consortio, apage, inquit, Satana. Hoc exemplum nos imitari debemus, & prudentiam, qua Christus vsus est, vtpote qui cynosuram verbi diuini sequebatur vnice. Inprimis hæc probe perpendenda sunt ciuibus academicis. Vere enim dici potest, plures ibi malos genios multiplici specie iuuenes animos tentare. & cum in periculosos errores tum peccata præcipitatum ire. Maxime igitur necessarium est, vt litterarum cultores

C

ma-



mature prudentiæ operam dent, quam in Salvatore nostro animaduertimus.

Septem & parentum & patriæ & scholæ nostræ carissimi filii, qui iam ea sunt ætate, vt non solum bene de iis sperare, sed & confidere possint ciues sui, tales futuros, quales cognitos iudicarunt, scholæ iam valedicturi sunt petituri academiam. Conspirarunt hi inter se, vt ante discessum publice gratias agant, & PRUDENTIS STUDIOSI imaginem, quam in suum ipsorum vsum expresserunt, publicis sermonibus exponant.

HERO ANTON. IBBEKEN, Oldenburgensis, lingua vernacula *prudentiam generatim definit.*

Sequentes speciatim demonstrant, qua ratione Studiosus litterarum prudentiæ operam dare debeat, & quidem

FRID. GEORG. DETMERS Oldenburg. *finem, quem prudens Studiosus sibi præscribere debet, latino sermone indicat.*

IO. HENR. SCHLOIFFER Oldenb. patrio sermone incipit *media ob oculos ponere ad finem ducentia, speciatim docens, quomodo in litterarum studio prudenter versandum.*

HENR. LOSCHEN Oldenb. oratione latina exponit, *qua ratione vita studiosorum sapienter sit instituenda & quidem speciatim officii erga Deum,*

HENR.





HENR. ANT. DETMERS Oldenb. oratione teutonica
officiis erga se ipsum,

FRID. IO. CASP. PREMSEL Stadensis oratione lati-
na officiis erga alios præstandis.

IO. PET. LAMMERS Delmenhorst. sermone patrio
*commilitones suos serio adhortatur, ut speciem
prudentis Studiosi verbis depictam vita sua expri-
mere velint.*

Quo minus in singulorum laudes excurram, deter-
ret me illorum modestia, vtpote qui malunt rerum
testimoniis, quam verbis ornari. Vt Mæcenates,
Patroni atque Fautores eos gratiosè beneuoleque
audire, & in posterum quoque gratia ac
fouere amplecti velint, vehementer
etiam atque etiam rogo.



10
HERRN ANT. DREHMERS Oldenburger

Antiquarische Bibliothek

TRID IO CASP. TRINSELL

IO. PET. LAMBERS

Quo tempore in

ratione horum nobilitatis

rationibus, quae veris

et in quibusdam

locis et in aliis

etiam etiam





B.I.G.

arte #13

Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ius.

est, locupletibus æque,
s, fenibusque nocebit.

